

1527

dignitas , & incolumitas restitueretur ; cum præsertim haud levis suspicio suborta esset , Hispanorum Duces , Pontificem captivum in Hispaniam mittere decrevisse , quo facilius pro libidine ditionibus Ecclesiæ dominari possent . Itaque Urbinati exercitus imperatori , Pisano , ac Viturio legatis mandatur , ut quamprimum cum omnibus copiis Romam versus proficiscerentur , captivo Pontifici opem ferrent ; ad arcem , qua detinebatur , iter aperirent ; illumque custodia erectum omni metu , ac periculo liberarent . Clemens licet inopinato tantæ calamitatis eventu consternatus animo , & malorum ingentium mole presus , ac fere obrutus nihil satis firmi consilii expedire posset ; attamen statim ad Urbinatem Petrum Chiavellutum miserat , qui quo loco res essent , illi significaret , celerrimam opem peteret ; ac Guidoni Rangonio eadem de re moeroris , ac lachrimarum plenas literas dederat . Imperator , & reliqui Duces , qui in Urbe Veteri exercitum habebant , castra movere , ac festinato itinere ad subsidium Pontifici ferendum contendere statuerunt . Ne vero a Cæsareanis , qui in Insubribus erant , impediri ea res posset , Senatus decreto novi delectus habití , ut milites , qui in Gallia Cisalpina Republicæ militabant , ad decem millia augerentur , ut Antonio Levæ obsistere possent , qui , nuper educto exercitu , novi aliquid moliturum præferebat ; præsertim spe Germani subsidii fretus , quod cito Alpes transgressurum fama ferebatur . Ad hæc ingens auri vis Adriatico mari Pisaurum , inde Romanum versus ad exercitum , ad militum stipendia persolvenda , & copias augendas transmissa .

Principum  
incensi ani-  
mi ad Pon-  
tificem ca-  
ptivitate li-  
berandum .

Et sane in hac rerum Italicarum jactatione spes quædam bene gerendarum rerum affulgere videbatur ; cum præcipue Pontificis Nuntius , Galliæ , atque Angliæ legati , & Franciscus Victorius reipublicæ Florentinæ orator , qui Venetos sua sponte ad opem Pontifici ferendam animatos adhortati fuerant , nihil suos Principes prætermissuros testarentur , ut a teterima Clementem servitute eriperent , atque Hispanorum turbidos , & insolegentes spiritus reprimerent . Franciscus quoque Galliarum Rex policebatur adversus Cæsarem in Belgio arma moturum , ad eamque rem perficiendam Henricum Angliæ Regem socium habiturum , cum quo nuper fœdus

Mandata  
ad Urbina-  
tem , &  
exercitus  
Legatos .

Petrus  
Chiavellu-  
tius Clem-  
entis legatus  
ad Urbina-  
tem .